



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

**Parisiis, 1644**

VI. De sententia Sardicensis Concilii recitata a postulante Nouato  
episcopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

re dignatus est frater noster & coepiscopus Alypius, dubios esse Canones. Sed hæc ipsa ad sanctum & beatissimum papam nostrum scribere dignemini, ut & ipse integros Canones inquirens, cum vestra sanctitate de omnibus constitutis tractare possit. Sufficit autem, ut & ipse beatissimus episcopus urbis Romæ, sicuti vestra sanctitas apud se tractat, ita & ipse inquireat, ne contentio inter ecclesias nasci videatur: sed magis caritate fraterna deliberare possitis, ipso rescribente, quid melius obseruari debeat. Aurelius episcopus dixit: Præter ista, quæ promissimus actis, necesse est, ut etiam nostræ paruitatis literis, sancto fratri & confacerdoti nostro Bonifacio singula, quæ tractamus, plenissime intimumus. Ergo si omnibus placet prosecutio nostra, ore omnium condiscamus. Vniuersum Concilium dixit: Placet:

## VI.

Nouatus episcopus, legatus Mauritanie Siphensis, dixit: Nunc meminimus, in hoc præfenti commonitorio lecto, etiam de presbyteris siue diaconibus contineri, qualiter ab episcopis suis vel a finitimis audiri debeant, quod in Nicæno Concilio minime legimus: unde hoc ipsum iubeat sanctitas vestra nobis recitari. Aurelius episcopus dixit: Recitetur ad locum etiam hoc quod deposcitur. Daniel notarius recitauit: De appellationibus autem clericorum, id est, minoris loci, restat ipsius Synodi certa responsio. De qua re, quid acturi sitis, credimus inferendum, quod taliter dictum est ex Sardicensi Concilio. Osius episcopus dixit: Quid

In Sardicensi Concilio Can. 17.

me adhuc moueat, reticere non debeo. Si episcopus forte iracundus (quod esse non debet) cito aut aspere commoueat aduersus presbyterum siue diaconum suum, & exterminare eum de ecclesia voluerit, prouidendum est, ne innocens damnetur, aut perdat communionem. Et ideo habeat potestatem eiectus, vt finitimos interpellet episcopos, vt causam suam audiant, & diligenter tractent, quia non oportet negari audientiam roganti. Et ille episcopus, qui aut iuste, aut iniuste eum eiecit, patienter accipiat, vt negotium discutiatur, \* aut probeatur eius, aut emendetur sententia, &c.

VII.

Cumque recitaretur, Augustinus ecclesie Hipponis Regiensis, legatus prouincie Numidie dixit: Et hoc nos seruaturos profiteamur, salua diligentiore inquisitione Concilii Niceni. Aurelius episcopus dixit: Si hoc etiam omnium vestrae caritati placet, responsione firmate. Vniuersum Concilium dixit: Omnia quae in Niceno Concilio statuta sunt, nobis omnibus placent. Iocundus episcopus ecclesie Suffetulae, legatus prouincie Byzacenae, dixit: Quod constitutum est in Niceno Concilio, violari a quoquam nullatenus potest.

VIII.

Faustinus episcopus, legatus ecclesie Romanae, dixit: Adhuc secundum professionem sanctitatis vestrae, tam sancti Aypii, quam & fratris nostri Iocundi, aliqua infirmari credo, aliqua firmari debeant, cum iam in dubium ipsi Canones venerint. Ergo, vt placet & nobis & beatitudini vestrae, ad